

materia quia potentia materie multiplicat et non materia. Primum patet quia alia est potentia ad formam ignis et alia ad formam aque quia actus distinguit potentias. Sed ibi sunt diuersi actus qui sunt ipse forme ergo diuersi sunt diuersi potentie. Item si eadem potentia esset qua materia est in potentia ad formam aque et ignis tunc sequeretur quod reducens unum actum reduceret et aliam et sic generans ignem simul et semel generaret aquam et quod esset in potentia ad unum esset in potentia propinqua ad alterum quod est falsum licet de remota secus sit. Item tunc in quolibet materia esset potentia ad formam antichristi et sic sia antichristi posset esse in materia totius vniuersi. Non enim potest esse maior ratio de vna parte materie quam de alia quia ipsa sit potentia ad formam antichristi magis quam alia. Item potentia est de predicamento ad aliquid non autem materia sed est de predicamento substantie igitur. Item potentia ad hanc formam corrumpitur adueniente ista forma non autem materia igitur.

Sexto arguitur quod materia potest cognosci sine forma quia ens est obiectum intellectus sed materia habet rationem entis ergo materia sine alio est cognoscibilis forte dicitur quod materia est pura potentia et non est ens. Contra Sequeretur quod generatio esset ex nihilo quia est ex materia que est non ens. Item quod nichil est non potest esse subiectum transmutationis ergo materia non est nihil. Item substantia non componitur ex non ente. Sed substantia componitur ex materia et forma ergo materia est ens. forte dicitur quod est ens in potentia pura. Contra ois distinctio est per aliquem actum sed materia distinguitur a forma ergo habet aliquem actum. Item materia est ens naturale ergo habet aliquem motum et per consequens habet aliquem actum. Item materia est formaliter substantia ergo est substantia in actu.

Ad primum dicendum secundum S. T. hic quod omne quod appetit aliquid vel cognoscit ipsum et se ordinat in illud vel tendit in ipsum ex ordinatione et directione et cognitione alicuius cognoscentis sicut sagitta tendit ad signum ex directione sagittantis non solum autem aliquid ordinatur in suum finem per virtutem actiuam suam sed materia secundum quod est in potentia ordinatur in finem suum qui est ipsa forma. Et sic dico quod appetitus naturalis non semper consequitur formam in entibus potentialibus. Ad aliud dictum est in corpore appetit enim quia est ens perfectibile per formam vel quia ad hoc ordinata est ut formam suscipiat. Ad aliud dicitur quod aristoteles hic contra platonem loquitur quod talibus locutionibus metaphoricis utebatur. Ad aliud negatur quod appetitus naturalis non requirit cognitionem preuia appetentis.

Ad secundum dicitur quod non omnis appetitus est actus. Et si queratur An appetitus materie sit tantum ens in potentia sine ipsa materia dicendum quod sic. Si enim appetitus distingueretur a materia tunc esset accidens inherens materie ante formam substantialem et iterum appeteret ab ipsa materia talis appetitus. Sed contra Manente materia appetitus corrumpitur ergo non est appetitus patet quia quia sic aristoteles probauit priuationem non est materiam a se patet quia hanc formam non amplius appetit ipsam nisi forte appetitu coplacentie et post corruptionem non appetit quia appetitus non est impossibilium. unde propter hoc dicitur quod materia mea non appetit formam vestram. Item appetitus est ad aliud nec ponitur in diffinitione materie ergo non est de essentia eius videtur enim dicere respectum. Item arguitur sic expositio. Hec mate-

ria appetit formam et hic appetitus non appetit formam ergo hic appetitus non est hec materia. Ad hec dicitur quod aliquis appetitus naturalis distinguitur ab appetitu materie quia aliquis est appetitus naturalis totius compositi. Secundo dicitur quod appetitus supra materiam importat quendam respectum rationis. Nichil tamen reale dicitur preter materiam De celo dicitur quod sicut materia celi non habet priuationem annexam ita non appetit formam.

Ad tertium dicitur quod materia appetit formam quia per unam eius potentiam non completur vel quia perficitur per eam et quia ordinatur ad eam potest tamen dici quod non ens aliquomodo causa appetit licet non principalis. Priuatio etiam potest aliquomodo dici ens ut dictum est in logica. Ad aliud dicitur quod ex consequenti et tamen causa per accidens aliquid est causa sine corruptionis. Si dicas priuatio contraria forma ergo non est causa appetendi causa. Item post corruptionem forme est in materia priuatio ergo materia appeteret formam corruptam. Dicendum quod contrarium priuatiui predicto modo est causa appetendi reliquum. Ad aliud dicitur quod propter priuationem requiritur potentia ad talem formam.

Ad quartum dicitur quod priuatio realiter differt a materia sicut cecitas realiter differt a visu eo modo quo supra dictum est. Et dico quod secluso omni extrinseco positiuo et priuatiuo a materia ipsa non esset priuata forma nec haberet aptitudinem ad eam. Ad aliud dicitur quod materia non habet nisi unam priuationem qua est priuata omnibus formis preteritis. Et si dicatur ista materia nunc est priuata forma a et tamen non est priuata forma b. ergo non est eadem priuatio ad illas duas formas. Regatur consequentia sed sequitur quod priuatio materie non se extendit ad istam formam vel dicatur sicut dictum est in logica de patre habente plures filios.

Ad quintum dicitur quod propter hoc argumentum quidam auerroisite tenent quod potentia materie distinguitur realiter a materia. Sed contra sicut se habet primum ens actu ad esse actu ita se habet primum ens in potentia ad esse in potentia sed primum ens est in actu per suam essentiam ergo et prima potentia est in potentia per suam essentiam. Item nichil substantiatur per accidens sibi sed materia substantiatur per potentiam secundum comen. in de substantia orbis igitur forte dicitur quod materia substantiatur per posse sic scilicet quod cognoscitur per suum posse quod tamen non est ipsa sed se habet ut passio eius. Contra. Si ista passio distingueretur realiter a materia sequeretur quod in materia essent infinite entitates actu quia materia est in potentia ad diuersas formas et infinitas. Respondetur quod materia prima nunc habet infinitas potentias. Contra sequeret quod materia non posset perfecte cognosci. Item per eos potentia materie videtur corrupti adueniente ista forma quod aliquid ens reale quod fuit ab eterno desinit esse. Item secundum philosophum in iij. phi. est inconueniens quod actu sint infinita accidentia ergo impossibile est quod in materia sint actu infinite potentie. Dicunt quod aristoteles non reprobatur infinitum secundum multitudinem sed contra omnis numerus est in aliqua specie numeri ergo omnes potentie collectiue sunt due vel tres vel quattuor. Dicendum ergo cum sancto thoma quod potentia materie est ipsa materia. unde in i. d. iij. q. iij. ar. et ad iij. dicit quod si per potentiam passiuam intelligatur relatio vel ordo materie ad formam tunc materia non est sua potentia quia essentia materie non est relatio. Si autem intelligatur potentia secundum quod est principium in genere substantie. Et sic